DE

OCCULTO URBIS ROMÆ NOMINE,

AD LOCUM APOCALYPSEOS XVII, 5.

DISSERTATIO,

QUA

CLERUM SUÆ DIOECESEOS

AD SYNODUM JOHANNEAM

ROSCHILDIÆ D. III. JULII MDCCCXI. CELEBRANDAM

OFFICIOSISSIME INVITAT

D. FRIDERICUS MÜNTER,

SELANDIÆ, ORDINUMQUE REGIORUM EQUESTRIUM EPISCOPUS,

EQUES DANEBROGICUS.

HAFNIÆ MDCCCXI.

TYPIS ET SUMTIBUS ORPHANOTROPHII REGII.

EXCUDEBAT C. F. SCHUBART.

Viro clarissimo F. M. Avellino J.C. Neapolitano amicitiæ signif. causa mittit

§. 1.

Haud ita raro accidit, Fratres carissimi, ut sacri Codicis interpreti in singulis iisque impeditioribus locis illustrandis non sufficiant ea antiquitatis subsidia, quæ primo sese aspectu offerunt facillimoque negotio parantur: sed ut infrequentioribus quoque ac difficilioribus opus sit, ad veram lucem iisdem locis adfundendam. Quod quidem, ut de Veteris, ita quoque de Novi Testamenti libris valere, vix ullum fore arbitror, qui in dubium revocet. Imprimis vero Apocalypsis, ultimum in canone nostro sacro volumen, omnem lectissimæ eruditionis apparatum postulat, quippe quæ, quo vividius magnum illud argumentum, in quo tota est, religionis nimirum Christianæ victoriam de Judaismo atque gentilium superstitione exponat, continuam imaginum symbolicarum seriem texit, qua flores ex Veteris Testamenti prophetis undique lecti, cum dissitarum Orientis regionum imaginibus & phantasmatibus copulantur, atque haud ita pauca immiscentur ex antiquitatibus romanis græcisque. Ex Perside enim atque Chaldæa petita sunt speciosa illa monstra: e Judæorum fontibus angelorum apparitiones, Cabbalisticæ computationes; verum hi quoque babylonici ingenii foetus; & omnis orationis ornatus, qui Veteris Testamenti prophetas ubique imitatur, ipsissimisque eorum verbis sæpissime utitur. Neque desunt loca, in qubius sacer vates ad græcas romanasque res respicere videtur: e quorum genere bina tantum recensebimus. Equidem Apocal. II, 13. de cultu

Æſculapii & ſacrorum ſerpentum apud Pergamenos cogitat, cujus veſtigia in numis occurrunt: capitis vero XIX verſum 16, ubi femori filii Dei nomen ejus inſcriptum dicitur, etſi Cabbaliſtica quidem, forte recentiora, præcepta femora fortitudinis atque victoriæ ſedem & ſymbola eſſe affirmant, longe tamen melius illuſtrabit mos nomina veſtibus inſcribendi, apud Orientales obvius, cujus quoque exemplum extat in monumento Perſepolitano; *) æque ac Græcus ille & Etruſcus, tum in fronte, tum maxime in femore ſigillorum ſtatuarumque titulum exarandi **). Hujusmodi vero, ſive ſint tituli frontibus inſcripti, ſive ſigna & characteres iisdem atque manibus inuſti, ſæpius in Apocalypſi leguntur. Omnium vero notisſimus eſt titulus ille, quem in fronte geſtat mulier, cujus ſub imagine Roma Idololatriæ omnisque ejus turpitudinis mater & fautrix, ex more hebræis vatibus ſolemni meretricis nomine appellata, proponitur:

Βαβυλων, ἡ μεγαλη, ἡ μητηρ των πορνων και των βδελυγματων της γης.

Apoc. XVII, 5.

In quo quidem deſcribendo interpretes, iique ſine dubio optimi, Apoſtolum ad libidinis titulos, (caſtioribus enim Tertulliani verbis utimur) ***), ex conſvetudine mulierum proſtitutarum tales titulos gerendi apud veteres auctores memorata ****) alluſiſſe haud infeliciter conjeciſſe viſi ſunt. At pace horum virorum de ſacra exegeſi optime meritorum monuiſſe liceat: vix cogitari poſſe, Apoſtolo immundorum iſtorum locorum ſpurcas conſvetudines innotuiſſe; & ſi vel caſu inno-

*) Le Bruyn Voyage, Tom. IV. p. 336.

**) Ciceronis Verrina IV. 43. Pauſan. Eliac. extrem. Muſ. Etruſc. Tom. I. Tab XIV. 1. & XX.

***) De pudicitia c. 1.

****) Senec. Controverſ. I. 2. Juvenal. VI, 123. al.

tuerint, minime tamen eo adducimur, ut credamus, eum tale quid in viſionibus ſuis deſcribendis adhibiturum fuiſſe, inque libro, magna ubivis ſonaturo, ſeſe unquam ad humi repentia depreſſurum! Meretricem quidem vocat mulierem ex prophetarum more: ſed titulus fronti ejusdem inſcriptus altius repetendus eſt. Nam, quod dubitari nequit, reconditam hactenus rem declarat, & Babylonis nomen, quo Judæi Romam haud raro intellexerunt *), aliud quoddam indicat, quod longe majoris eſt momenti ac impurarum muliercularum nomina. Apocalypſeos enim auctorem nominibus inhærere, iisque vim atque ſignificatum tribuere, complura loca declarant.

Eſt vero ex mea ſententia nomen, frontali mulieris inſcriptum, *Myſticum* illud *Urbis Romæ*, perpaucis cognitum, neminique revelandum, quocum ſalus reipublicæ ita arcte nexa credebatur, ut eo patefacto graviſſima eidem pericula imminerent. Ad hanc Romanorum ſuperſtitionem per multa ſecula ſervatam cum reſpexiſſe videatur Apoſtolus, noſtro hoc loco indicat nomen ~~quoddam~~ occultum, quo Judæi Romam deſignarunt, myſtici illius, ſolis Romanis cogniti, veluti figuram & ſymbolum, idque, quo omnibus innoteſceret, fronti mulieris inſcriptum. Rem uberius explicabo.

§. 2.

Ex urbibus captis, templisque hoſtili impetu jamjam profanandis, numina tutelaria, deosque exire, conſtans fuit Gentilium opinio, quam primo poſt Chriſtum natum ſeculo adhuc vigentem cernimus, cum Deos quoque e templo Hieroſolymitano exceſſiſſe e populari traditione referat Tacitus **).

*) cf. Hallenbergii Comment. in Apocalypſin, Holmiæ 1800 editum, ad Apoc. XIV. 8.

**) Hiſtor. Libr. V. c. 3.

Deos vero ab Imperatore, cujus exercitus urbem aliquam obſidione cingeret, ſolemnibus formulis evocari poſſe, Romanis unice fuit perſuaſum; ni forte de Etruſcis, a quibus cum tota aruſpicum arte cetera religionis arcana accepiſſe videntur, idem erit ſtatuendum. Ritus iſte ſæpius a Romanis peractus legitur; neque deſunt ipſæ formulæ: habemus nimirum carmen illud quo Camillus Junonem Reginam Romam invitavit *), formulamque numinum Karthaginienſium evocandorum **); quæ vero nulla amplius illuſtratione indigent, cum a viris doctiſſimis, Bergero ***) & Anſaldio ****) egregie ſint expoſita. Cum autem Romani univerſe ſtatuerent, evocari poſſe Deos; mirum non eſt, eos ipſos quoque veritos fuiſſe, ne eandem illam calamitatem, qua tot urbes affeciſſent, Roma quoque aliquando ſubitura eſſet. Nam primis Reipublicæ ſeculis usque ad Hannibalis tempora hoſtiles exercitus ſæpius ante moenia viderunt, & gallicæ obſidionis memoria mentibus eorum alte infixa hæſit. Ne igitur evocari poſſent numina, non ſolum Genii, Numiniſve, cujus peculiari curæ urbis tutela commiſſa erat, ſed urbis etiam verum nomen, ſacroſancta religione per multa ſecula occultatum, reticuerunt. Pro certo enim habuerunt, quæ quidem ſuperſtitio longe lateque per veterem orbem graſſata eſt, nomina genuinam habere vim in lingua quapiam, quæ ſi transferantur in aliam, non eandem amplius obtinere. Quam autem opinionem cum vel ipſe Origenes defendat adplicetque ad incantationes, quid mirum, ſi gentiles homines eandem toto animo amplexos eſſe reperiamus. Ait vero ille expresſis verbis: "Hominem a nativitate græco nomine illo

*) Livius L. V. c. 21.

**) Macrob. Saturn. L. III. c. 9.

***) De Evocatione Deorum ex oppidis obſesſis, Vitteb. 1714.

****) De romana tutelarium Deorum evocatione liber ſing. Brixiæ 1743.

"vel illo vocatum, ſi mutato nomine in romanum aut ægyp-"tium, aut cujusvis gentis incantaveris, non erit efficax in-"cantatio alioqui futura, ſi vocetur nomine illi dudum im-"poſito. Idem accidet in romano nomine, ſi in græcum "mutato incantationem tentes. Non valebit quæ valitura "erat non mutato hominis nomine priſtino." Neque veretur ultro progredi: "Id ſi verum eſt de humanis nominibus; quid "ſentiendum de attributis Deo, quacunque de cauſa? exempli "gratia, ſignificat aliquid ſi interpreteris, Deus Abraham, Deus "Iſaac, Deus Jacob: adjuret aliquis per Deum Abraham &c. "efficiet aliquid aut per naturam, aut per virtutem eorum "nominum, cedentibus dæmonibus & victoris juſſa facientibus. "Idem adjurator, ſi dicat, per Deum patris electi ſoni "(πατρος εκλεκτου της ηχους), per Deum riſus (γελωτος), per Deum "ſupplantatoris (του πτερνισου), tantundem efficiet quantum ſi "adhibeat quodcunque nomen inertisſimum. Itidem nomen "hoc Iſrael, ſi mutemus in romanam aliamve linguam, nil "efficiemus: ſin ſervemus ut eſt, & adjungamus alia quæ ſolent "periti harum artium: tum demum ſpei reſpondebit eventus, "exerente ſe vi talium nominum *)." Idem hoc quoque ſtatuit Jamblichus, in libro de Myſteriis Ægyptiorum: "Si vel nominum "divinorum ſignificationum proprietates per aliam linguam "interpretari poſſimus, eas tamen permutatas eandem haud ſer-"vare potentiam **)." Iſta vero omnia cum placitis antiquiorum philoſophorum de ipſa linguarum origine cohærere, valde fit probabile, ſi easdem haſce ſententias cum Platonis Cratylo conferamus, ubi docetur: "Nomen eſſe inſtrumentum docendis "rebus accommodatum & quo rerum ipſarum natura diſcrimi-

*) Origenes adv. Celſum. L. V. c. 45. Opp. T. I. p. 612. edit. Ruæi. cf. I. c. 24. p. 341.

**) Sect. VII. cap. 5. p. 154. ed. Thom. Gale.

"netur: atque: majorem quandam humana potentia esse, quæ "prima rebus nomina imposuerit *)."

Nec vero in nominibus unice veris vetustisque tantam vim quæsivit tota antiquitas; sed in recta quoque & genuina eorundem enunciatione; cujus rei fidem faciunt fabulæ Judaicæ, de miraculis a Jesu Christo, hujus enunciationis, quam in cryptis templi Hierosolymitani acceperit, ope, unice patratis.

Sed ad Romæ nomen, de quo nobis heic agitur, redeamus.

§. 3.

Agmen testium ducit Plinius H. N. III. c. 5: ait enim: "Romæ nomen alterum dicere, arcanis cæremoniarum nefas "habetur: optimaque & salutari fide abolitum enunciavit "Valerius Soranus, luitque mox poenas. Non alienum videtur "inferere hoc loco exemplum religionis antiquæ: namque "Diva Angerona ore obligato obsignatoque simulacrum habet." Repetuntur hæc Plinii verba a Solino Polyhist. cap. I. "Traditur etiam, ait, proprium Romæ nomen, veruntamen vetitum "publicari, quandoquidem, quo minus inclaresceret, cæremo- "niarum arcana sanxerunt, ut hoc pacto notitiam ejus aboleret "fides placitæ taciturnitatis." Adjicit præterea quæ Plinius habet de Sorano atque de Angerona Dea. Eademquoque habet Macrobius Saturnal. III. 5. qui causam affert, cur alterum Romæ nomen perpetuo silentio damnatum fuerit: "Romani & Deum, "in cujus tutela urbs Roma est, & ipsius urbis latinum nomen "ignotum esse voluerunt, caventes, ne, quod sæpe adversus urbes "hostium fecisse se noverant, idem ipsi quoque hostili evocatione "paterentur, si tutelæ suæ nomen divulgaretur."

*) Cratyl. Ed. Bipont. Vol. III. p. 343.

Quæ vero hoc loco de nomine illius numinis, cujus ſingulari tutelæ Roma fuerit commiſſa, afferuntur, cum arcte adeo cum religione circa Urbis ipſius nomen cohæreant, haud pigebit loca veterum de iſto numine agentia brevibus recenſere. Et primus quidem exſtat Plinius H. N. L. XXVIII. 2. Evocationem deorum in pontificum diſciplina durare perhibens, ideoque conſtare occultum in cujus tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent. Plutarchus vero in Quæſtionibus Romanis, qu. 61. Cur nefas ſit, tutelarem Romæ Deum, masne ſit an foemina dicere aut quærere, ejusque nomen efferre? adfert causam probabilem: quod, ut nonnulli Romanorum ſcriptores tradunt, carmina quædam ſunt & præſtigiæ, quibus uſi Romani, cum putarent ſe quosdam hoſtium deos ad ſe traduxiſſe, cavere voluerunt, ne idem ſibi ab aliis eveniret. Servius denique ad Æneid II, v. 293—96 ait: "Romani celatum eſſe voluerunt, in cujus Dei tutela urbs "Roma ſit, & jure Pontificum cautum eſt, ne ſuis nominibus "Dei Romani appellarentur, ne exaugurari poſſint. Et in Ca"pitolio fuit clypeus conſecratus, cui inſcriptum erat: Genio "urbis Romæ, ſive masſit, ſive foemina:" quæ quoque repetit ad Æneid. IV. 598, & Georg I, 498. Addit tamen Macrobius: "Dei quidem nomen nonnullis antiquorum inter ſe diſſentien"tium libris inſertum, & ideo vetuſta perſequentibus quidquid "de hoc putatur, innotuit: alii enim Jovem crediderunt, alii "Lunam; ſunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilen"tium denunciat; alii autem, quorum fides mihi videtur firmior, "Opem Conſiviam eſſe duxerunt." Quam quidem eruditi Grammatici opinionem multa adſtruere videntur: cum novam imprimis lucem accipiat e ſacris fratrum Arvalium, quæ poſt tot ſeculorum tenebras noſtra demum ætate indefeſſo Cajetani Marinii, Viri illuſtris, ſtudio detecta ſunt. In arcana enim hacce religione, eaque ex antiquisſima ætate oriunda, primo quidem

diis tutelaribus ſacrificia oblata, & carmina tripudiata ſunt pro agrorum fertilitate: deinde poſt reipublicæ interitum, pro ſalute Auguſti. Dia vero Dea, quod præcipuum erat numen a fratribus Arvalibus cultum, vix alia fuit ac Ops, alma Mater, cum Δηῳ, Cerere, pro pantheismi ratione, in unum idemque numen coaleſcens *). Hoc vero ſi ſtatuerimus, facile inde intelligemus, Romanos, a Trojanis ſuæ gentis originem ducentes, Matrem Idæam præcipuo cultu proſecutos fuiſſe; nec ulla ſubibit mirandi cauſa, cur anno ab urbe condita DXLVII. ſvadente oraculo lapidem, βαιτυλον vel διοπετη Magnæ Matris e Peſſinunte Galatiæ Romam deportari curaverint, &, ſi veri aliquid ineſt narrationi Servii de pignoribus Imperii Romani a Wernsdorfio genuinæ lectioni reſtitutæ **), Agdum (non Acum, ut textus corruptus habet) Matris Deum Romæ inter ſacra abſcondita habitum fuiſſe. Nec forte ſine omni fructu erit accuratius, ſi quando inſtituetur, examen omnium monumentorum hodieque ſuperſtitum, quibus Magna Mater ſæpe exhibetur; imprimis illorum quæ ad amuleta pertinuiſſe videntur. Quorum unum mea ſcrinia ſervant: numisma nimirum æneum utrinque cælatum, ſeu potius ſigillum; in cujus adverſa Mater Deum, uti ſolet, throno inſidens, adſtantibus hinc inde leonibus, ſculpta cernitur; ſiniſtra autem tenet Jovis fulmen, dextra vero ſceptrum αετοφορον, Imperii Romani ſymbolum: quæ quidem inſolita plane attributa fidem faciunt, ineſſe huic nummo vel ſigillo arcanum quendam ſenſum, qui tamen ab Urbe Roma, Imperioque Romano plane alienus haud eſſe poſſit. Sed e diverticulo in viam. Nam disputationem heic loci haud inſtituimus de Romanorum αγνωςῳ θεῳ, quem cum

*) Marini atti e monumenti de' Fratelli Arvali, Roma 1795. Vol. I. p. 10.

**) Wernsdorf de pignoribus Imp. Rom. ad locum Servii Æn. VII. v. 188. Helmſt. 1786. p. 8.

Athenienſium comparare volupe foret, ſi modo probari poſſet, a Græcis unquam evocatos fuiſſe Deos; ſed agendum nobis eſt maxime de ignoto illo urbis Romæ nomine, de quo quærendi anſam nobis præbuit locus noſter apocalypticus.

§. 4.

At animum, vel in ipſo disquiſitionis limine deſpondere, jubet Macrobius, allatis verbis addens ſequentia: "Ipſius vero "urbis nomen etiam doctisſimis ignotum eſt, caventibus Ro- "manis, ne, quod ſæpe adverſus urbes hoſtium feciſſe ſe nove- "rant, idem ipſi quoque hoſtili evocatione paterentur, ſi tutelæ "ſuæ nomen divulgaretur." Quam exigua enim ſpes poſt tot ſecula, non dicam verum, ſed veri ſaltem haud plane abſimile, ex iſtis tenebris eruendi! Sed tentanda per devia via, & quousque licebit, progrediendum. Id tamen primo monere neceſſe: non niſi de uno occulto Romæ nomine quæri. Triplex quidem urbi fuiſſe nomen aſſerunt Erythræus in indice Virgiliano, & Angelus Politianus Libr. I. Epiſt. 2. ex auctoritate veterum. Mirum vero, hujusmodi teſtimonia poſt eorum tempora nemini innotuiſſe. Nec immorandum Annii Viterbienſis ineptis ſomniis, qui cum *Romaneſſum*, cum *Tetrapolin* fuiſſe alterum Romæ nomen aſſerit: neque audiendi qui *Amaryllin* vel *Cephalon* *) Romam fuiſſe appellatam narrant. Sunt quoque qui *Floram*, *Florentem*, *Florentiam*, vel Græco Vocabulo Ανθοῦσαν dictam opinentur, Franciſcum Philelphium, quoad græcum nomen, ſecuti. Verum antiquisſima procul dubio eorum eſt ſententia, qui in latino vocabulo, quo græcum Ρωμη ad amusſim exprimitur, *Valentia*, acquieſcunt. Hoc quidem nomen Solino, arriſit, qui Cap. II. inquit: "Sunt qui videri velint Romæ vo- "cabulum ab Evandro primum datum, cum oppidum ibi

*) ap. Feſtum, p. 223.

"offendiſſet, quod exſtructum antea Valentiam dixerat Juventus "latina, ſervataque ſignificatione impoſiti prius nominis Ῥώμην "Græce Valentiam nominatam, quam Arcades quum in excelſa "parte montis habitaſſent, derivatum deinceps, ut tutisſima "urbium arces vocarent." Quamquam vero haud nego, nomen hocce eſſe bene latinum, utpote quod Viboni Bruttiorum ceſſerit, poſtquam colonia Romana eo fuit deducta, & duabus præterea aliis urbibus, in Hiſpania nimirum & Gallia tributum legatur, quemcunque tamen veteris latinæ linguæ aliquantula peritia imbutum facile intellecturum eſſe arbitror: ipſum hujus nominis ſonum recentiorem prodere ætatem, nec cum rudiori priſci ſermonis indole conſpirare, ad cujus leges potius *Valeria* ſ. *Valeſia* dicta fuiſſet urbs. Ex hisce vero difficultatibus vix nos extricatum iri arbitror, niſi reſpiciamus ad priscum hominum ſermonem. Cur enim haud quidem *Romæ* græcum, ſed proprium idque latinum urbis nomen ex ſuperſtitione romana in evocatoriis carminibus adhiberi haud potuerit, ex ſuperioribus §. 2 allatis facile patebit. Erat hocce nomen ſine vi, Diisque ignotum, cum neque in urbis dedicatione uſurpatum, nec in linguam Deorum, in qua nulla vox nativa ſua vi atque ſignificatione carere potuit, cooptatum fuerit. Nam ſibi invicem opponuntur hominum, Deorumque linguæ, quarum hæc antiquior eſt, illa vero recentior. De hac paullo prolixius agemus.

§. 5.

In antiquisſimis poeſeos Græcæ monumentis, homericis quippe carminibus, plus ſimplici vice diſtinctio occurrit inter hominum Deorumque linguam, ita ut luculenter pateat, ſemiculta illa ætate, quæ heroicis temporibus ſuccedebat, rem fuiſſe notisſimam. Nomina nimirum commemorantur a communibus appellationibus diverſa. Ægæonem, centimanum

monstrum, a Diis appellari Briareum, legimus Iliad. A. 403. Scamandrum fluvium a Diis Xanthum dici, Iliad. [illegible]. 74. Avem Υ. quandam inter homines Κυμινδιν appellatam, a Diis χαλκιδα vocari. Iliad. Ξ. 291. Clivum Trojanis sub nomine Βατιειας notum, a Diis σημα Μυριννης vocari. Iliad. B. 813. 14. & herbam illam αλεξιφαρμακον, qua Ulyssem a Mercurio contra Circes præstigia munitum tradit in Odyssea, in Deorum saltim lingua designat: fuit vero nomen ejus Μωλυ. Odyss. K. 305. Verum non poetas tantum, sed alios etiam, eosque Philosophos, de Deorum lingua locutos esse, testis nobis exstat Pherecydes, Soloni, ut vulgo fertur, æqualis, de quo Diogenes Laertius tradit, Libr. I. Cap. XI. §. 5. eum dixisse: ὅτι οἱ θεοι την τραπεζαν θυωρον καλοῦσι. Causam vero, cur veteres ita inter Deorum hominumque linguam distinguant, facile inveniemus, si modo cogitaverimus de sententia illa apud Platonem commemorata, homines, Deorum alumnos, linguæ donum ab iis accepisse: ὅτι τα πρωτα ονοματα οἱ θεοι εθεσαν *). Ex qua quidem opinione per se sequitur: antiquissimam hominum linguam (Græcorum nimirum, haud vero Barbarorum, notandum autem Trajanos apud Homerum græce loqui) eam esse, quam a Diis acceperint: itaque Deorum linguam esse antiquissimum sermonem. Hinc novam quoque lucem accipit constans veterum populorum consuetudo, priscam liturgiarum suarum linguam servandi, vel parum tantum immutandi; cujus fidem faciunt carmina Saliaria, Arvale, aliaque monumenta ex antiquitate residua: unde quoque fortassis accidit, ut in Odyss. K. 305, herba illa magica nomine tantum inter Deos usitato appelletur. Itaque clivi istius prope Trojam antiquissimum fuit nomen Σημα Μυριννης, dum adhuc inter homines Myrinnæ in hoc tumulo sepultæ

*) In Cratylo ed. Bipont. III. p. 316.

vigeret memoria, qua extincta, novum Βατιειας nactus est nomen: eodem quoque modo duplex Scamandri nomen est explicandum. Hactenus quidem historia. Sed ubi Philosophi ad eam rem explicandam accesserunt, linguæ Deorum nescio quantas perfectiones tribuendas esse censuere. Cum enim statuerent nomen esse instrumentum docendis rebus accommodatum, & quo ipsarum rerum natura discriminetur, in eo quoque majorem humana potentiam agnoverunt, quæ rebus prima nomina imposuerit. *) Inde quoque factum, ut nomina significantia, quale erat Pherecydis illud θυωρος (παρα το τα θυη ωρειν) linguæ Deorum tribuerentur. Eadem etiam de causa Eustathius in Commentariis ad Homeri Il. A. 403, veteres secutus, inquit: ὁτι πολλα εισι διωνυμα παρα τῳ ποιητῃ · τουτ᾽ ἐςι, δυσιν ονομασι καλουμενα. και των τοιουτων ονοματων το μεν ὁ Ποιητης εις θεους αναφερει, το δε ανθρωποις απονεμει, δηλων, ὁτι μουσογραφης ων, οιδε και τα θεια, και της των θεων επαιει διαλεκτου. Παρασημειουνται δε οἱ Παλαιοὶ, ὁτι το μεν ὁλως κρειττον των ονοματων θεοις διδωσιν ἡ Ποιησις ὡς θειωτερον, το δε μη τοιουτον ανθρωποις.

Cum autem genuina totius rei origo sensim in oblivionem abiret, mirum quantum hac de re somniaverint veteres. Nam ut quæstionem solverent, unde demum hominibus hæc Deorum lingua innotuerit, de somniis, oraculis, hominibusque a Dæmonibus correptis cogitarunt: ita quidem Clemens Alexandrinus de Platone testatur ad ejusdem Cratylum maxime respiciens: ὁ Πλατων δε και τοις θεοις διαλεκτον απονεμει τινα, μαλιςα μεν απο των ονειρατων τεκμαιρομενος και των χρησμων · αλλως δε και απο των δαιμονωντων; οἱ των αυτων ου φθεγγονται φωνην ουδε διαλεκτον, αλλα την των ὑπεισιοντων δαιμονων. **) Ex eodem quoque fonte Dio Chryso-

*) Μειζω τινα δυναμιν ειναι, inquit Plato, η ανθρωπειαν την θεμενην πρωτα ονοματα τοις πραγμασι. Cratyl. opp. T. III. p. 343.

**) Strom. I. c. 21. ed. Potteri 404.

ſtomus, haud ignobilis Rhetor, ancipitem oraculorum naturam derivat. Τι δε νομιζεις, inquit, τον Απολλωνα αττικιζειν η δωριζειν, ἢ τὴν αυτην ειναι διαλεκτον ανθρωπων και θεων. αλλα τοσουτον διαφερει, ὡς τε τον ποταμον τον εν Τρωιᾳ Ξανθον, Σκάμανδρον παρ εκεινοις καλεισθαι, & quæ ſunt cetera loca in Iliade: ὅθεν δη και ασαφη τα των χρησμων εςι. *) Neque vero inter Græcos tantummodo ſparſæ ſunt hujusmodi de Deorum lingua fabulæ: ſed ex Aſiæ minoris litoribus Caucaſique convallibus migraſſe videntur ad ſeptentrionem usque, cum in Edda quoque Islandorum diverſi ſermonis fiat mentio quo utantur, homines, Dii, Inferi, aliique. **) Neſcio vero, an huc quoque referenda ſit vulgata apud Peruvianos traditio, de lingua quadam peculiari eaque dudum exſtincta, qua uſa ſit ſola Incarum familia. Certe quidem lingua Deorum habebatur, cum hi Peruvianorum principes, utpote Solis progenies, divinioris cujusdam naturæ participes eſſe crederentur.

Jam vero ubi conſtat, Deorum linguam ex mente veterum eandem eſſe ac priſcum hominum ſermonem, vix eſt dubium quin occulto illi Romæ nomini illuſtrando hæcce nonnihil conferre posſint. Nomen enim iſthoc, quo, in carminibus evocatoriis adhibito, ipſa numina ad relinquendam urbem moveri poſſent, non erat ore hominum vulgatum; erat vero illud, quo Dii Romam appellare credebantur, cujus proprietates, ſi in aliam linguam, vel vertendo, commutaretur, eandem haud ſervarent potentiam: priſca igitur religione erat conſecratum, Diisque ab urbis inde incunabulis carum acceptumque. Eandem vero hanc ob ſuperſtitionem Romanis peculiarem, expresſis verbis nunquam nominatur, licet tot alia veterum urbium priſca nomina habeamus ab Hiſtoricis, Geographis,

*) Dionis Chryſ. διογενης η περι οικετων. ed. Aldina Venet. p. 101.

**) In Carmine Alvismaal dicto.

Lexicographis commemorata, quæ deinceps in oblivionem abierunt. Ita quidem, ut pauca tantum exempla afferamus, Ephesus antiquo tempore dicta fuit Smyrna, Tracheja, Ortygia & Ptelea: Smyrna vero Naulochos; Thyatira, Pelopia, Euhippia, Semiramis. Sardes autem Hyde & Tarne, Corinthus Ephyra, Tenedos Leucophrys, Samothrace Leucania, Minoa Siciliæ Macara, Rhodus Insula Ophiusa. Nec in ipsa Italia desunt exempla. Neapolis enim Romæ adeo vicina prisco tempore dicta fuit Parthenope; Metapontum Metabas. Qui quidem recensus variorum eidem urbi diverso tempore tributorum nominum, si tanti esset, valde posset augeri. Nostra tantum interest hisce exemplis ostendisse, mirum haud esse, si de Orbis terrarum Dominæ pluribus præter unum illud vulgatissimum nominibus cogitetur.

Jam vero, ubi ipsam populi Romani historiam adeamus, cujus tamen primordia maximis difficultatibus impediuntur, ex Dionysio Halicarnasfensi intelligemus, longo ante Romulum tempore in duobus urbis collibus, Palatino nimirum & Capitolino extitisse hominum habitationes, quarum quidem illas a Pallante Arcade *Pallanteum* dictas diserte tradit; harum vero nomen haud exprimit, ipsum tantum collem in quo exstructa erat *Saturnium* vocans *). At Varro de L. L. Libr. 4. cap. 7: "in " Tarpejo monte antiquum oppidum fuisse Saturniam" memorat, adstipulantibus Virgilio & Minucio Felice. Ille enim: Æn. VIII. v. 357.

Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit urbem;
Janiculum huic, illi Saturnia nomen.

*) Dionys. Halic. I. 34. II. 1. cf. Cellarii Geogr. antiqua, Vol. I. p. 632. Alius Saturniæ Etruscæ mentionem nonnunquam faciunt veteres. Hujus rudera descripsit Georgius Santi V. cl. in Viaggio secondo per la Toscana, pag. 87.

Minucius vero Cap. 22. idem hoc pedeſtri ſermone commemorat. At incerta hæc omnia, fabuliſque mixta. Mirari tamen ſubit, inter tot, de altero Romæ nomine virorum doctorum disquiſitiones ac conjecturas, nullam vetuſtisſimum illud Saturniæ attigiſſe atque commendaſſe; de quo tamen cogitare & potuiſſe & debuiſſe videntur. Et primo quidem *latinum* eſt nomen; latinum vero illud fuiſſe, aſſerit Macrobius l. c. Vulgatum autem Ρωμα eſt Græcum, æolica forma expreſſum, a græcis hominibus, qui tot colonias in Italiam deduxerunt, oriundum. Audiendi ſunt vero minime, qui radicem aliquam Semiticam, v. c. רמה *excelſus fuit*, vel ſi Djs placet Samſcredanicam quærunt, in qua lingua *Romo*, *Romote*, lætitiam & exultationem victoris heroisque denotare dicitur. Qui autem urbis nomen invertunt & in *Roma Amorem* inveniunt, Genium antiquitatis parum noſſe videntur. Præterea autem, quo quidem conjectura noſtra imprimis firmatur, inter omnes conſtat, totam Latinorum gentem ab Aborigenibus inde Saturnum una cum Jano vitæ cultioris inſtitutorem divinis proſecutam fuiſſe honoribus, unde quoque univerſæ veteri Italiæ, apud Poetas maxime, Saturniæ nomen ceſſit. Neque minor fuit ipſius collis, qui deinceps factus eſt quaſi ομφαλος της γης, Capitolini nimirum, ab antiquisſima ætate ſanctitas; ex quo probabile fit, *Saturniæ* nomen, utpote quod ab antiquisſimo Italiæ numine ductum erat, viciſſe *Pallantei* illud, in Pallantis, dignitate Saturno longe inferioris honorem, tuguriis per collem palatinum ſparſis tributum. Nec opus eſſe videtur, ut de nexu qui in Mythologia veterum inter Saturnum atque Opem ſ. Rheam intercedit, ſollicite videamus, licet ille fortasſis noſtræ conjecturæ aliquid momenti addere posſit. Magis vero aliquando obſcurum hoc argumentum illuſtrare licebit, ubi magica vetuſtatis monumenta Romæ nonnunquam obvia a viris harum rerum peritis accuratius examinabuntur: quorum quidem unum in meo

museo adservatum, hacce occasione describam. Est autem numus æneus, ab una parte scutum exhibens, non quidem ad vulgarem Anciliorum formam ab artifiçe effictum: qui tamen vix aliud indicare poterit, quam Ancile: nostis autem, Fratres carissimi, Ancilia coelo delapsa inter potissima Imperii Romani pignora habita fuisse. In altera vero parte spectandam sistit numus noster tabulam quadratam, veteris Romæ, a Romulo, ut fama fert, muris cinctæ, ichnographiam, cui inscripta cernitur litera S forma sat antiqua, quæ quidem initialis *Saturniæ* haberi poterit, si modo alia monumenta, quibus hæc nostra conjectura firmetur, eaque vetustiora, nam & cælatura & scuti forma recentiorem, quamvis antiquam indicant manum, in apricum proferet ætas.

§. 6.

Sed tempus est, ut ad Apocalypseos illum locum redeamus, cujus illustrandi caussa hæc omnia prolusimus. Hostili nominis Romani odio omnes orbis terrarum populos, postquam vi & astutia devicti, atque a plerisque, qui in provincias delegabantur magistratibus oppressi essent, imprimis in oriente recens subacto, flagrasse, vix est de quo dubitemus; cum ex ipsa illius ætatis historia, ejusdem cum aliis temporibus comparatione, atque humani pectoris natura quæ ubicunque locorum est eadem, luculenter pateat. Fidem faciunt verba Mithridatis ad suum exercitum: "ut ipsi Romani ferunt "conditores suos lupæ uberibus altos; sic omnem illum popu-"lum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, "divitiarumque avidos ac jejunos habere." *) Idem hoc patet ex legationibus populorum atque provinciarum sæpius com-

*) Justin. L. XXXVIII. c. 4.

memoratis eoque consilio Romam missis, ut præsides atque rectores suos exactionum accusarent; sed parum prospero plerumque eventu, cum rei maximam partem a populo Romano, vel a Senatu absolvereutur. Denegata vero justitia auctum semper fuisse odium, quis dubitat? Ipsum Ciceronem, Verrinarum exactionum acerrimum illum vindicem, habemus testem in oratione pro lege Manilia ita loquentem: "Difficile "est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras na"tiones, propter eorum quos ad eos per hos annos cum im"perio misimus, injurias ac libidines. Quod enim fanum "putatis illis in terris nostris magistratibus religiosum, quam "civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam "fuisse? Urbes jam locupletes ac copiosæ requiruntur, qui"bus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur." Idem tradit Tacitus de Neronianis temporibus: "post urbis "incendium, narrans, conferendis pecuniis pervastata Italia, "provinciæ eversæ, sociique populi, & quæ civitatum liberæ "vocantur: inque eam prædam etiam Dii cessere, spoliatis in "Urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, "omnis P. R. ætas prospere aut in metu sacraverat. Enim"vero per Asiam atque Achajam non dona tantum, sed simu"lacra numinum abripiebantur." *) Et si etiam scriptoris Christiani testimonio uti licebit, habemus Minucium Felicem. "Quidquid, inquiebat, Romani tenent, colunt, possident, "audaciæ præda est. Templa omnia de manubiis urbium, de "spoliis Deorum, de cædibus sacerdotum. Hoc insultare & "illudere est, victis religionibus servire, captivas eas post "victorias adorare." **) Et Augustinus denique de populo Romano ait: "operam ab ipso datam esse, ut imperiosa civitas

*) Annal. XV. c. 6.

**) Octav. pag. 228. ed. Ouzelii, Lugd. Bat. 1672.

"non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gen-"tibus pacto ſocietatis imponeret." *) Quæ cum ita ſeſe habuerint, dubitari nequit, ab omnibus ſubactis populis ardentisſima vota pro interitu Imperii, cujus tyrannidi omnes obnoxii erant, perpetuo ſuſcepta fuiſſe. Neque veri aliqua ſpecie caret, ea perſuaſione, quæ primo poſt C. N. ſeculo, Tacito teſte, pluribus inerat, ut valeſceret Oriens profectique Judæa rerum potirentur, **) ad quam Apoſtolus quoque Apocal. XVI, 12. reſpicere videtur, hoſtium romani nominis ſpem in immenſum creviſſe. Jam vero, ubi fama acceperunt, fata urbis ab occulto ejus nomine pendere, quo revelato, tutelares ejus Deos evocari, victricesque legiones a libertatis vindicibus deleri poſſe; minime mirum eſt, omnium animos in id imprimis intentos fuiſſe, ut ſanctum iſtud, efficax, Diisque carum nomen per tot ſecula religioſo ſilentio preſſum, quacunque demum via detegerent, ſuperatisque præſtigiis, humani generis atrocem hoſtem ſuperarent. Et facile quoque intelligitur, Apoſtolum, ubi has Græcorum, Aſianorumque exſpectationes, ab hominibus qui Chriſto nomen dederant, acceperit, in libro qui religionis victoriam de Judaismo & Gentilium religionibus, certisſime reportandam, ac ſi jam reportata eſſet, celebraret, iſtam de occulto urbis nomine famam in ſuos, verum potius in magni illius quod exponendum ſibi ſumſerat argumenti, uſus convertiſſe. Nec plane inauditam fuiſſe Judæo homini rem, veroſimile eſt. Nam Hieroſolymam quoque occultum myſticumque habere nomen, a Judæis doctoribus accepiſſe poterat: ipſique Judæi inviſum ſibi Babylonis nomen Romæ tribuebant. ***)

*) De Civ. Dei l. XIX.

**) Hiſtoriar. L. V. c. 13.

***) רומי בבלין. Midraſch Rabba Cantici Cant. Cap. 1. v. 6. Buxtorf. Lexic. Talm p. 2228. Hallenberg hiſtoriſka Anmärkningar öfver Uppenbarelſes Boken, III. p. 107.

Jam vero Apoſtolus a capitis inde Apocalypſeos XII. v. 18 in eo eſt, ut Romæ expugnationem, & Polytheismi interitum poſt everſum Judaismum deſcribat: imprimis vero cap. XVI. id agit, ut ſententiam Dei de exitio Romæ, in coelo latam, eventu quoque his in terris confirmatam oſtendat. Omnes enim cum remotæ ſint difficultates, quæ Romæ evertendæ obſtare poſſent, ſeptimus Angelus (v. 17—21) phiala in aërem evacuata, ſævam excitat tempeſtatem, fulguribus & tonitrubus, procella, terræque motu horrendam, quibus naturæ tumultibus Roma concuſſa collabatur, ſuisque ipſa ruinis obruatur. *) Tantum autem ſacri vatis intererat, ut hancce perituræ idololatriæ imaginem lectorum ſuorum mentibus, animisque alte infigeret, ut ſequenti capite XVII eandem hanc urbem, orbis terrarum reginam, more vatibus hebræis ſolemni depingeret, atque omnia ejus crimina una recenſeret. Sicuti igitur Ezechiel cap. XXVIII, 15. Tyrum cum meretrice comparat; eadem in Apocalypſi imago de Roma, Idololatriæ ſede atque metropoli, uſurpatur. Frontali vero ejusdem nomen inſcriptum legitur: nomen illud Babylonis, in ipſo hoc libro ſæpius jam ad denotandam Romam adhibitum. Sed noſtro loco, verſu nimirum 5, eadem ratione qua myſticum nomen monſtri e terra nati cap. XIII, 11. procul dubio frontali ejus, uti ονοματα βλασφημιας, quæ in diadematibus monſtri marini (XIII, 1.) legebantur, inſcriptum, myſtice proponitur v. 18; ita quoque capitis XVII, v. 4. 5. meretricis illud nomen declaratur eſſe Μυστηριον: quod idem eſt, ac ſi dixiſſet Romam vocari Babylonem εν πνευματι, quo vocabulo utitur ad myſticum Hieroſolymæ nomen, *Sodoma* & *Ægyptus* (XI, 8.) innuendum. Quod vero Μυστηριον hocce nomen vocat, certe indicat, eum non tantum meretricis nomen indicare, neque Babylonis illud apud Judæos

*) Eichhorn in Apocal. II. p. 193.

ſolemne inter Chriſtianos quoque conſecrare velle. Sed aliam rem indicat, σημαινει, quo verbo ſæpius in Apocalypſi utitur: Babylonis enim nomen non eſt niſi figura alſus, æque myſtici ac hominis illius, frontali belluæ cap. XIII, 18. inſcriptum. Et quid prohibet, quo minus ſtatuamus, obverſatam eſſe ante oculos apoſtoli imaginem occulti illius nominis, a quo ſalus urbis atque imperii ex mente Romanorum pendebat. Hujus jam Μυστηριον, cum frontali mulieris inſcriptum ab omnibus legi posſit, recluſum eſſe indicat, eo conſilio, ut lectores atque auditores hacce imagine de certisſimo Urbis interitu, idololatria ejusque ſuperſtitione propriis veluti armis profligata, admoneat. Ita quidem ex mea ſententia capite XVII imaginibus illius ætatis hominibus ad intellectum facillimis, repetuntur eadem, quæ cap. XVI. dicta jam fuerant; capite vero XVIII. leſſus habetur de interitu Romæ.

Habetis hîc, Fratres carisſimi, novæ loci diu vexati interpretationis tentamen: quod, ſi vobis haud plane diſpliceat, verum potius ſuffragiis veſtris ornetur, impenſe lætabor.

Supereſt vero, ut de occaſione hujus diſſertatiunculæ pauca adjiciam. Inſtat enim dies III. Julii, quo ex more majorum, a ſeculo inde XIII ſolemni, Synodus Dioeceſeos Selandicæ Johannea Roſchildiæ celebrabitur: in qua poſt peracta in æde Cathedrali ſacra, concionem ibidem habituro S. V. eccleſiarum ſcholarumque præfecturæ Holbekianæ Præpoſito *J. S. Warthoe*, in conſeſſu Veſtro, Fratres carisſimi, verba faciam de *pacis inter diſſidentes de religione Chriſtianos reſtituendæ conſiliis.* Quo facto, primo quidem novum pro-